



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Cursus theologici iuxta scholasticam huius temporis
Societatis Jesu methodum tomus ...**

Amico, Francesco

Duaci, 1640

IV. An habitus Theologicus supernaturalis quoad substantiam?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82000](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82000)

immediate applicata per reuelationem Dei; quæ diuiditur in scriptam, traditam, & animatam, quæ residet in Vicario Christi: cuius oppositum, si cum pertinacia asseratur, hæresim gignit: quæ est primus gradus erroris contra Fidem. Secundum gradum obtinet totius Ecclesiæ Consensus: tertium cõmunis Patrum auctoritas. Quartum Cõspiratio omnium Doctorum: Vnde sicut in his datur maior & minor certitudo, omnes tamen reductiuè pertinent ad Fidem: ita & inter assensus ipsos Theologicos datur vnus certior altero. Omnes tamen pertinent ad Theologiam; cuius est per huiusmodi auctoritates suas veritates confirmare. Ceterum his omnibus auctoritatibus vtitur Theologus, quatenus aliquo modo fundantur in auctoritate diuina: Nam eatenus nititur auctoritate Patrum, Ecclesiæ, & Doctorum, quatenus eas censet fundari in auctoritate Dei reuelantis: quia tamen hoc non est certum, propterea assensus fundatus in his auctoritatibus non est ita certus, sicut qui fundatur in auctoritate Dei immediate applicata per euidentem deductionem.

57. Dicitur, Ergo eodẽ modo ad Theologiam spectabit assensus Theologicus opinatiuus, & formidolosus. Resp. Non ita propriè, cum dubietatem non excludat: quare ille tantum, & omnis assensus ad Theologiam spectabit qui, moralem gignit certitudinem; nam hæc ad minimum ad Theologicum assensum necessaria est.

58. Ex his patet ad fundamenta vtriusque sententiæ: nam fundamentum secundæ procedit tantum de habitu Theologico acquisito ex assensibus fidei humanæ, qui manet in hæretico etiam quoad exercitium. Fundamenta tertiæ procedunt de habitu acquisito ex assensibus fidei diuinæ, de quo tanquam de præcipuo ac potissimo habitu verificatur, quod in certitudine excedat omnes scientias naturales.

59. Ex dictis deducitur primò Theologiam non esse vnum specie habitum, sed plures; omnes tamen attributionem dicere ad reuelationem diuinam quam omnes finaliter intendunt magis aut minus proximè, secundum quod magis aut minus ad illam accedunt per maiorem, vel minorem certitudinem auctoritatis proponentis.

60. Deducitur secundò, Ex assensibus Theologicis non solũ augeri habitũ Theologicum, sed fidem ipsam; vel acquisitam, si assensus principiorum procedat ex fide acquisita; vel infusam, si procedat ex fide infusa: cum hoc tamen discrimine, quod acquisita augetur ex assensibus fidei humanæ Physicè; infusa verò ex assensibus fidei diuinæ meritoriè: eò quod habitus infusus, cum sint ad instar potentiarum, quæ supponi debent ad actus, nequeunt per actus Physicè intendi. Secus de habitibus acquisitis, qui, quoniam supponunt potentiam, cuius actibus generantur, possunt per actus talis potentie, intendi.

Tom. I. De Deo.

61. AN autem debeat esse meritorius actus fidei diuinæ, vt habitum moraliter intendat. Affirmat Scotus in tertia dist. 23. §. de primo. Mihi tamen probabilius videtur oppositum; quod etiam docet Iacobus Granadus in 1. p. tractatu primo. dist. 4. Cuius ratio est, quia sicut hic habitus manere potest cum peccato, ita & in statu peccati augeri. Quia sicut hic habitus non facit hominem sanctum; ita nec eius augmentum magis sanctum. Vnde Caiet. p. 2. quæst. 62. artic. 4. docet hunc habitum infundi posse sine gratia, vt cum quis ad baptismum accedit dispositus per solum actum fidei, qui sufficit ad sacramentum, non autem ad effectum sacramenti; Tunc baptizatus simul cum charactere recipit habitum fidei sine gratia. Iuxta hanc sententiam intelligitur auctoritas illa August. 14. de Trin. cap. 1. vbi loquens de nostra Theologia, ait esse scientiam, qua fides saluberrima gignitur, nutritur, defenditur, & roboratur: quia nimirum per actus huius scientiæ non solum gignitur, & augetur Theologia, sed etiam fides ipsa, & si non est, infunditur; aut si est, augetur, nutritur, & roboratur.

Scotus.

Iacobus Granadus.

Caietanus.

Augustinus.

SECTIO IV.

An habitus Theologicus sit supernaturalis quo ad substantiam.

62. PRIMA Sententia negat, est Vasquez. 1. p. d. 4. nu. 23. Granadi tract. 1. d. 5. & aliorum; primò quia assensus Theologicus non innitur immediate testimonio Dei, sed medio discursu naturali; ergo nequit esse in substantia supernaturalis. Consequentia prob. Nam assensus specificatur à suo motiuo proximo: sed proximum motiuum assensus Theologici, non est testimonium Dei supernaturale, sed discursus, seu connexio naturalis proprietatis cum principio. Secundò, quia sæpè discursus Theologicus procedit ex vna præmissa naturali; ergo nequit tunc quoad entitatem, & certitudinem esse supernaturalis. Consequentia probatur ex illo dialectico principio, quod conclusio semper sequitur debiliorem partem: cuius ratio est: quoniam cum ars syllogistica debeat in conclusione connectere duas extremitates, ex vi coniunctionis earum cum medio in præmissis, non poterit eas firmius in conclusione connectere, quam fuerint cum medio ipso in præmissis coniunctæ. Igitur quantum firmitatis & certitudinis illis deest cum medio, in præmissis tantumdem illis deesse oportebit in conclusione. Vnde si cum medio altera extremitas coniungitur ineuidenter, contingenter, aut probabiliter, coniunctio earum in conclusione erit ineuidens, cõtingens & probabilis, vt inductione constat. Igitur, si in Theologico discursu altera præmissa erit naturalis, cum ea vna extremitas connectetur certitudine tantum naturali; atque

Vasquez. Granadus.

B

ad dõ

aded non poterit in conclusione cum alterâ extremitate maiori certitudine arctiori que firmitate connecti, quàm fuerit cum medio ipso in vna ex præmissis coniuncta.

63. TERTIA. Habitus Theologicus non est per se infusus, sed acquisitus actibus nostris, ergo non est in substantiâ supernaturalis. Antecedens constat: tum quia si esset per se infusus, non posset acquiri per actus; quoniam habitus per se infusus habet rationem potentie, quæ cum supponatur ad actus, nequit per eos produci: tum quia, si habitus Theologicus esset per se infusus, suapte natura peteret infundi cum reliquis habitibus supernaturalibus, qui simul omnes infunduntur cum gratiâ. Vnde sequeretur omnes fideles absque studio Theologiæ esse Theologos, per habitum Theologicum infusum, contra experientiam, & Aug. 14. de Trin. c. 1. dicentem: *Hæc scientia non pollere fideles plurimos, quamvis ipsa fide polleant plurimum.* Consequentia verò probatur, quia nullus datur habitus supernaturalis, qui non sit per se infusus; ergo si Theologicus non est per se infusus, non erit supernaturalis.

Augustin.

64. QVARTO. Idem habitus Theologicus esse potest in hæretico æquè, atque in Catholico; atqui in hæretico non est supernaturalis: ergo neque in Catholico. Minor constat: quia in hæretico nullum est principium, aut motuum supernaturalium, quod gignere possit assensum Theologicum supernaturalem; cum careat fide infusa, & motu supernaturali auctoritatis diuinæ, quæ duci nequit hæreticus in reliquis articulis credendis vel vno tantum negato, ut suppono. Maior probatur, quia potest hæreticus, sicut & Catholicus ex articulis, quos admittit, veras conclusiones deducere. Quinto. Quia, nequit assignari causa supernaturalis efficiens discursum Theologicum supernaturalem.

Hernius.
Canus.
Zumel.
Molina.
Fasolus.
Gillius.
Hurtad.
S. Thomas.

65. SECUNDA sententia affirmat. Est Heruci quodlibeto 5. quæst. 19 ubi docet hæc ab omnibus teneri, Cani lib. 12. de locis Theologicis cap. 3. conclusione 2. Zumel i. p. q. 1. a. 8. q. 4. notabili 2. Molinæ ar. 1. Disp. 1. & 2. Fasoli dubit. 13. Gillij lib. 1. tract. 4. c. 12. Hurtadi de anima Disput. 16. sec. 8. & procul dubio S. Thom. i. p. quæst. 1. ar. 1. & 5. Vbi docet Theologiam differre à reliquis scientiis naturalibus, quia nititur lumine superiore: Quod etiam affirmat Caiet. ar. 1. in fine & art. 3. §. sed contra. Nec potest intelligi de lumine fidei prærequisito ad assensum Theologicum: tum quia Caiet. expressè distinguit lumen supernaturale fidei, & Theologicum per rationes intrinsecas: tum quia, alioqui S. Thom. non distinxisset Theologiam à reliquis scientiis per rationem intrinsecam, sed tantum per extrinsecam, nempe per lumen fidei ad Theologicum discursum prærequisitum. Pro explicatione huius sententiæ.

Caietanus.

66. Nota nos hic loqui posse, vel de habitu Theologico inclinante intellectum ad conclusiones deductas ex principiis reuela-

tis, creditis tantum fide humana; vel de habitu Theologico inclinante ad conclusiones deductas ex principiis reuelatis, creditis fide diuina. Præsens controuersia non est de priore habitu; Nam hic extra omnem controuersiam est in entitate & certitudine naturalis, quia nullum habet principium supernaturale, à quo gigni possit in entitate supernaturalis: sed controuersia tantum est de posteriore habitu, inclinante intellectum ad conclusiones deductas ex principiis reuelatis, creditis fide diuina. De quo habitu,

67. Dicendum est, illum esse quoad substantiam supernaturalem: Prob. 1. à posteriori; quoniam assensus Theologicus est certior quolibet assensu scientifico naturali; ergo est quoad substantiam supernaturalem. Antecedens docet S. Thom. 1. 2. p. quæst. 1. ar. 5. & cum eo reliqui Theologi. Consequentia verò probatur. Nam hanc certitudinem non potest aliunde habere, quàm ex principio aliquo supernaturali: cum oporteat omnem perfectionem, quæ reperitur in effectu, proficisci à causa; cum igitur hæc perfectio excedat quodlibet principium naturale, oportet, ut proficiscatur à principio aliquo supernaturali. Nequit autem effectus recipere à principio supernaturali perfectionem ullam supernaturalem, quin simul cum ea recipiat entitatem supernaturalem. Ergo si assensus Theologicus recipit certitudinem supernaturalem, excedentem certitudinem reliquarum scientiarum naturalium, oportet, ut cum ea simul recipiat entitatem supernaturalem. Minor explicatur. Nam reliqua patent: quoniam perfectio supernaturalis debet necessariò fundari in aliqua entitate supernaturali; cum enim hæc realis sit, necessariò aduehit secum entitatem realem, quæ nequit esse naturalis, si perfectio ipsa supernaturalis est, ut per se patet.

S. Thom.

68. Secundò, probatur Conclusio à priori. Quotiescunque ad assensum concurrat motuum aliquod supernaturale, ille est quoad essentiam supernaturalem. Atque ad assensum Theologicum concurrat motuum aliquod supernaturale: ergo est quoad essentiam supernaturalem. Maior constat quoniam assensus specificatur à motu; ergo si illud est supernaturale, assensus quoque erit supernaturalis. Minorem probo quoniam ad quatum motuum assensus Theologici non est sola dispositio terminorum, seu naturalis connexio vnius extremitatis cum medio, sed etiam supernaturalis connexio alterius extremitatis cum eodem medio: assentior enim huic conclusioni: *Christus est risibilis*, non solum, quia risibilitas, quæ est alterum conclusionis extremum, naturaliter connectitur cum homine, qui est medium, cum quo extrema connectitur in præmissis; sed etiam quia Christus, quod est alterum extremum conclusionis, fide diuina connectitur cum eodem homine in præmissis, atque adeo motuum adæquat, quo

quo

quo mouetur intellectus ad assensum Theologicum, non est sola naturalis connexio conclusionis cum medio, sed etiam supernaturalis coniunctio eiusdem conclusionis quoad alterum extremum cum eodem medio in præmissis. Concurrente autem partiali motiuo supernaturali, totus assensus fit supernaturalis, sicut concurrente partiali causa supernaturali totus effectus, qui producit, est supernaturalis; ut constat de lumine gloriæ, & intellectu creato partialiter concurrentibus ad visionem beatam.

69. Cuius ratio est: quia quando duæ causæ ambæ in effectum concurrunt, semper superior, utpote fortior, assimilatur sibi effectum, saltem quoad aliquid. Confirmatur quia vel supernaturalitati Theologici assensus obstat naturalis discursus, quo utitur Theologus ad conclusiones ex reuelatis deducendas. Et hoc non: quia hic non impedit supernaturalitatem multorum actuum, quos per scientiam infusam eliciebat Christus Dominus: vel coniunctio alterius motiui naturalis. Et neque hoc impedit, quia ad dandam speciem actui supernaturalem, sufficit alterutrum tantum motiuum supernaturale.

70. Ex his deducitur non modò, assensum Theologicum, qui infertur ex duabus præmissis supernaturalibus media consequentia naturali, verum etiam qui infertur ex vna præmissa supernaturali, & altera naturali, esse in essentia supernaturalem: quia ad utrumque concurrat aliquod motiuum supernaturale, nempe altera saltem præmissa supernaturalis.

71. Ad 1. Opposita sententiæ, nego consequentiam: ad cuius probationem: nego assensum specificari tantum à motiuo proximo, sed ab adæquato; quod in casu nostro non est sola connexio naturalis, sed etiam supernaturalis cum medio diuina fide credito.

72. Ad 2. Nego consequentiam: & ad eius probationem Resp. 1. Dialecticum illud axioma intelligendum esse negatiue, nò positiue, ut videlicet nunquā conclusio, sequatur gradum certitudinis præmissæ fortioris; non autem ut debeat necessario sequi gradum præmissæ debilioris: sed sequi potest certitudinem mediam inter utrumque gradum: sicut cum effectus procedit ex duplici causa partiali, non procedit cum specifica perfectione causæ perfectioris, neque cum specifica perfectione causæ imperfectioris: sed cum media imitante perfectionem utriusque, ut patet de mulo procedente ex equa & asino, qui procedit media quadam specie imitante naturam utriusque causæ.

73. Resp. 2. Et melius: concesso absolute Dialectico illo axioma, nego præmissam naturalem, quando coniungitur cum supernaturali ad illā explicandā, habere tantum certitudinem naturalem, sed eleuari ex coniunctione cum præmissa supernaturali ad participandum aliquem gradum certitudinis supernaturalis: quia dum præmissa natura-

lis explicat supernaturalem reuelatam, simul explicat se ipsam implicite & virtute contineri in supernaturali reuelata, atque adeo participare certitudinem reuelationis supernaturalis, non quidem formalis & expressæ, sed virtualis & implicitæ: & consequenter conclusio deducta ex vna præmissa supernaturali, & altera naturali, etiam si iuxta Dialecticum principium, sequatur partem debiliorem: erit tertior quàm conclusio naturalis: quia non nititur certitudine præmissæ ut naturalis, sed ut participantis certitudinem præmissæ supernaturalis per coniunctionem ad illam: Ut patet in hoc syllogismo: *Christus est homo: homo est risibilis: ergo Christus est risibilis*. Minor naturalis dum explicat maiorem reuelatā, & creditam fide diuinā, simul explicat, se ipsam virtute contineri in maiore ipsa reuelata. Quia cum propositione reuelata censentur reuelari ea omnia, quæ cum ea sunt naturaliter connexa: atque adeo ex tali explicatione & coniunctione redundat in minorem naturalem gradum certitudinis reuelationis implicitæ & virtualis, qui gradus certitudinis communicatur etiam conclusioni.

74. Dicis. præmissa naturalis cognita per discursum, ut contenta in præmissa reuelata, creditur fide diuinā; ergo ut sic non differt à præmissa reuelata. Resp. Creditur fide diuinā virtuali, & implicita, concedo; formali & explicita, nego. Dupliciter enim potest talis præmissa credi ex testimonio diuino, vno modo explicite & formaliter, si nimirum discursus naturalis solum se habeat ut conditio, qua posita intellectus solo testimonio diuino feratur ad eam credendā: alio modo, implicite & virtualiter, si videlicet eodem discursu explicetur, illam contineri in præmissa reuelata, & simul eodem testimonio diuino implicite & virtualiter credatur ea esse in præmissa supernaturali reuelata: qui est quidam certitudinis gradus inferior quidem fide diuinā formali & expressa, superior tamen scientia naturali.

75. Hinc patet, cur quoad reliquas proprietates inevidentiæ, contingentiae & probabilitatis, conclusio necessario sequatur inevidens, contingens, & probabilis: quia nimirum inevidentia est pars debilior, & præmissa euidens nequit vllum gradum euidentiæ communicare præmissæ inevidenti, & creditæ fide diuinā; quia hæc excludit à suo motiuo formali omnem rationem naturalem. Perfectio verò probabilis seu contingens non reuelatur implicite & virtualiter in propositione ipsa reuelata: quia cum tales perfectiones adeste, & abesse possint integra manente natura propositionis reuelatæ, non intelliguntur in ea implicite reuelatæ: sicut intelliguntur implicite reuelatæ ex perfectiones, quæ naturaliter integrant naturam propositionis reuelatæ, atque adeo propositiones probabiles coniunctæ cum propositione reuelata nullum participant ex

tali coniunctione gradum certitudinis, sed manent in sua pura probabilitate, quam suapte naturā habent, & consequenter conclusio, quæ iuxta artem syllogisticam sequi debet partem debiliorem, semper erit probabilis & contingens.

76. Ad tertium nego consequentiam: neque enim supernaturalitati habitus obesse debet, quod acquiratur ex nostris actibus; quia quando actus sunt supernaturales, quales sunt assensus Theologici, ut ex eorum motu & certitudine supernaturali supra deduximus, non possunt nisi supernaturalem habitum gignere. Quare ad consequentiæ probationem nego antecedens: etenim ex mea sententia duplex datur genus habituum supernaturalium; alterum infusorum, acquiritorum alterum: illi præcedunt actus, & ad instar potentiae dant posse simpliciter; unde à proprijs actibus augeri non possunt: isti subsequuntur actus, & ad instar habituum naturalium necessariò supponunt infusos, tanquam potentias, solumque conferunt in operando facilitatem, à suisque actibus intenduntur. Fundamentum meum est: quoniam, ut in Logica docui, habitus acquisiti sunt ipsæmet species actuum in potentia relictæ, quæ magis, ac magis perfectæ ac radicatæ per exercitium plurium ac plurium actuum, potentiam faciunt ad con- similes actus circa idem obiectum eliciendos. Sed actus supernaturales non relinquunt nisi species supernaturales, cum species sit virtualis imago & representatio obiecti: atque adeo qualis erit actus, talis erit species ab ipso producta, & in potentia relictæ. Ergo præter habitus supernaturales infusos dantes simpliciter posse, concedendi sunt etiam acquisiti ex actibus ipsis supernaturalibus frequentatis, præbentes tantum facilitatem circa idem obiectum: ut fusè in 8. tomo disp. 1.

77. Ad quartum nego Maiorem, si loquamur de habitu Theologico inclinante intellectu ad conclusiones deductas ex principiis revelatis, creditis fide Divinā: quia cum in hæretico non sit habitus fidei infusæ, non potest ad conclusiones procedere ex principiis revelatis, creditis fide Divina, quæ necessariò prærequiritur ad perfectum assensum Theologicum.

78. Concedo verò maiorem, si loquamur de habitu Theologico inclinante ad conclusiones deductas ex principiis revelatis creditis tantum fide humana. Verum hic habitus nō est in substantia supernaturalis, cum nullum sit principium supernaturale, ex quo illius supernaturalitas deduci possit, ut supra explicatum est.

79. Ad quintum aliqui causam efficiētem supernaturalem assensus Theologici, assignant ipsos assensus supernaturales fidei in principia ipsa revelata, qui simul cum intellectu effectivè influunt in assensum conclusionis. Sed contra; quia cum assensus sit actus vitalis, non videtur habere vim

activè influendi in alium actum vitalem, ut inductione constat de reliquis actibus vitalibus: Solum enim principia revelata ad assensum conclusionis Theologicæ concurrunt obiectivè, sicut omnes præmissæ ad assensum conclusionis. Quare dicendum est causam efficiētem supernaturalem assensus Theologici, esse ipsum habitum fidei infusæ, quæ non solum se extendit ad actum fidei formalis & explicitæ, sed etiam ad actum fidei virtualis & implicitæ: qualis est assensus Theologicus in conclusionem; implicitè contentam in præmissis revelatis.

79. Ex dictis deducitur, certior em esse conclusionem Theologicam deductam ex utraque de fide, quàm ex vna de fide, & altera naturali. Fundamentum est: quia quantò conclusio est propinquior principio, ex quo deducitur, tantò est certior; quia tantò magis participat certitudinem principij, propter quam ipsa asseritur. Sed conclusio deducta ex utraque præmissa de fide est propinquior principiis revelatis, ex quibus deducitur, quàm conclusio deducta ex vna tantum de fide: ergo. Minor probatur: quia conclusio deducta ex vna tantum præmissa de fide, continetur in altera de fide, media præmissa naturali; deducta verò ex utraque de fide continetur nulla media præmissa naturali, sed tantum medio discursu naturali; ergo est propinquior principiis, atque adeo certior.

SECTIO V.

An Theologia sit vna scientia.

80. **P** R I M A Sententia negat, Theologiam esse vnam scientiam. Est Goffredus. Aureolus. 2. Prologia. 3. Fundamentum est: quia illa scientia non est vna, quæ non habet obiectum formale vnum: Theologia non habet obiectum formale vnum; ergo non est vna. Maior patet: quia unitas scientiæ sumitur ex unitate obiecti formalis. Minor probatur primò; quia obiectum Theologiæ est partim prædicum, partim speculativum: atqui hæc duo nequeunt in vnum obiectum formale simul convenire, cum sint rationes primò diversæ, diuidentes habitum in duas species primò diversas; ut constat de Ethica & Metaphysica, quæ sunt duæ scientiæ specie diversæ, non aliunde nisi quia illius obiectum est ens operabile; huius verò speculabile. Secundò Theologia quæ primò agit de Deo & creaturis; nullus autem conceptus communis est Deo & creaturis, ergo.

81. Secunda Sententia docet, Theologiam, quæ conclusiones infert ex utroque principio revelato, esse vnam specie scientiam; Theologiam verò, quæ conclusiones infert ex vno principio revelato, & altero naturæ lumine noto, esse specie diversam, camque,

Goffredus.
Aureolus.